Ex MS. Arch. S. Aug. Reg.

Sigismundus primus Rex Polonie Summo Pontifici.

121

Sanctissime. Ea nunc sunt Regni mei rationes, omnia ut apibus adjutum id oporteat, potius ne in Christiani nominis hostia potestatem cadat, quam ut velle quisquam debeat ex inopi Regno aliquid sibi emolumenti quærere. Etenim propter graves Vicinos, quibus jam pridem septum est: accessit proxima superiore estate, vicinus alius multo formidolosior non mihi solia, verumetiam cunclo Christiano orbi truculentus ille Turcarum Tyrannus, quem omnes a finibus suis qm longissime abesse optant. Is Valachiam meæ Ditioni contiguam sua iam ditionis fecit, ita quod fuit olim Romanorum, ea nunc facta est Turcarum Colonia. In singulos namq dies migrare eò Turcæ et suas ibi sedes figere dicuntur. Quæ res metuo, ne quid Regno meo afferat detrimenti. Quare supplico Sanctitati vestræ, ut pro persona sua benignitate, qua periclitantibus Christianorum Regnis subvenire tenetur, hoc quoque meum respicere dignetur, tanto æquioribus oculis, quanto majore diligentia provisum est à me, ut cum aliorum quorundam fides vehementer sit labefactata, id in Fide, officio potestateque Sanctæ Sedis Apostolicæ semper in hunc usque diem remanserit, non hoc pelo, quod altrò

aliis

aliis Regibus offere soliti sunt hi qui ante
Sanctitatem Vestram Ecclesiæ gubernacula
tenebant, ut ex archa sua benigne Regno meo
faciat, ut belli contra crucis Christi hostes
gerendi nervos mihi suppeditet, sed eum cen-
tum exile vectigal ex Regno meo Sanctitati
Vrē debeatur, quem Sancti Petri denarium
vocant, quoso illam magnopere, quod jam ali-
as quoque feci, quandoquidem non ignorat,
quod prælia, quod dimicationes, quæ annis
contra crucis hostes sustineam maiore meo
sumptu, quam eci ferendo jam esse possem,
ut vectigal hoc satis tenue sempiternis tem-
poribus Regni mei necessitatibus condonet,
et verè Sancti Pontificis officio fungetur,
et cunctæ Reipublicæ Christianæ plurimum
commodabit. Commendo me et Regnū meum
quæ summa possum animi mei demissione,
ac Deum precor, ut illam in multos annos in-
columem et felicem conservet. Datæ Cracoviæ
d. 29. Aprē 1539.